Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



tor Contere brachium peccatoris et maligni: quæretur peccatum illius et non inveniatur. Dominus regnabit in æternum et in sæculum sæculi: peribitis gentes de terra illius. Desiderium pauperum exaudivit dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua. Iudicare pupillo et humili: ut non apponat ultra magnificare se homo super terram. Psalmus

In domino confido quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut passer. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: paraverunt sagittas suas in pharetra: ut sagittent in obscuro rectos corde. Quoniam quæ perfecisti destruxerunt: iustus autem quid fecit. Dominus in templo sancto suo: dominus in cælo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iustum et impium: qui autem diligit iniquitatem odit animam suam. Pluit super peccatores laqueos: ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam iustus dominus et iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Domine deus noster in te speravi: respice et exau

Salvum me fac domine quoniam defecit sanctus: quoniam diminuta sunt veritates a filiis hominum. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde et corde locuti sunt. Disperdat dominus universa labia dolosa: linguam magniloquam. Qui dixerunt linguæ nostræ magnificabimus: labia nostra a nobis sunt: quis noster dominus est. Propter miseriam inopum et gemitum pauperum: nunc exurgam dicit dominus. Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo. Eloquia domini eloquia casta: argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum. Tu domine servabis nos et custodies nos a generatione hac in æternum. In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Usque quo domine oblivisceris